

55 desperes mutare te posse in melius. Si enim tantum potuit
diabolus ut a celsis virtutum fastigiis in profundum te
deduceret malorum, quanto magis poterit Deus ad sum-
mum te bonorum verticem revocare, et non solum in id
te restituere quod fuisti sed et beatiorem multo quam
60 prius videbaris efficere. Tantum est ne concidas animo
neque spem tibi abscidas bonorum ne, quaeso, ne accidat
tibi quod impiis solet. Non enim peccatorum multitudo
in desperationem adducit animam sed impietas. Et propter
ea Salomon non dixit quia « omnis qui venerit in profun-
65 dum malorum contemnit », sed « impius, inquit, si venerit
in profundum malorum contemnit ». Impiorum ergo est
desperare salutem et contemnere, cum in profundum
malorum venerint, non peccatorum. Impietas enim non
sinit eos ad Deum respicere et illuc redire unde dilapsi
70 sunt. Ista ergo cogitatio quae spem conversionis abscidit
ab impietate descendit et sicut lapis gravissimus cervicibus
animae incumbens semper eam deorsum in terram cogit
aspicere, ad Deum vero sursum non sinit oculos allevare.
Sed virilis animae est et praeclarae mentis deicere a cer-
75 vicibus animae pondus inimicum, immo deprimentem
abicere diabolum et imperare animae suae ut canens
verba prophetica dicat : « Sicut oculi servorum in manibus
dominorum suorum et sicut oculi ancillae in manibus
dominae suae, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum
80 donec misereatur nostri. Miserere nobis, Domine, mise-
rere nobis quia multum repleti sumus despectione. »
Praeclara vere in his verbis caelestis philosophiae doc-